


05

A

2477





äl

I  
S.

D



I. N. J.

*Succincta*

GENEALOGI-  
AS CHRISTI

à Biga Evangelistarum, Matthæo & Luca, conscriptæ

LIQUIDATIO,

*Quam*

PRÆSIDE

*Viro plur. Reverendo, Amplissimo atq; Excellentissimo*

Dn. ABRAMO CALOVIO,

S.S. Theol. D. ejusdemq; P.P. famigeratissimo, Con-  
sistorii Eccles. Assessore gravissimo, Electoral.

*Sax. Alumnorum Ephoro vigilantissimo,*

Dn. Præceptore & Promotore suo jugi observantiæ  
cultu devenerando,

M. JOHANN GEORG Rüsner / Sultzbacensis Palat.

A. & R.

In Acroaterio Theologorum

Annô post natum Mediatorem M. DC. LII.

die Januarij

*publico examini subicit*

---

WITTEBERGÆ.

Typis Johannis Röhneri, Acad. Typogr.




05 A 2477



... hoc, GEN...  
... ptam...  
... biis p...  
... non n...  
... ardua...  
... tra Re...  
... xpc p...  
... Script...  
... JESU...  
... SUM...  
... mus, c...  
... dua n...  
... cujus...  
... ceat...





Σὺν Θεῷ παναρισθῶ.

I.



Christianus orbis hodiernum JESULI nostri recens nati festivitatem concelebrans, facile unumquemlibet piæ mentis, & beneficiorum ab Immanuele nobis partorum memorem commovere potest ad concinnendum DEO suo hymnum, & εὐχαριστίας immolandum sacrificium.

II. Atq; ut & Nos in honorem ejus, qui ἀπαύγασμα

τῆς δόξης καὶ χάρακτῆρ τῆς ὑποστάσεως τοῦ Θεοῦ, Heb 1,3. unice hoc, quicquid est, suscipiamus operis, animum induximus GENEALOGIAM CHRISTI, à Matthæo & Luca descriptam, intimius perspicere & perlustrare, & ab omnibus dubiis pro modulo nostro vindicare. Firmiter persuasi nos non minori cum fructu in hac, quàm in ulla alia, utut satis ardua, materia pro Honore SALVATORIS NOSTRI contra Recutitos, acerrimos Messiaæ & veritatis cœlestis ἀντιδιδύκας pugnare, aut majori cum evidentia, sepositis aliis S. Scripturæ testimoniis & vaticiniis, demonstrare posse, hunc JESUM, MARIÆ FILIUM, VERUM ET à DEO PROMISSUM ESSE MESSIAM. Ut igitur id, quod maximè volumus, eò facilius & felicius assequamur, neq; in hoc tam ardua negotio succumbamus, Tu potissimum nobis JESU, cujus unice hîc res agitur, exorandus es, ut nobis liceat.

— Te Duce mortali immortalia digno  
Ore loqui, nostrosq; oculos attollere cœlum,  
Et lucem accipere atheream!



III. In Paradiso, jucundissimo illo horto, nostris *Protoplastis* prædictum erat semen mulieris contritum caput serpentis *Gen. 3, 15.* quæ promissio postea restricta fuit ad semen *Abrahæ Gen. 12, 3. c. 18, 18. c. 22, 18. Isaaci, Gen. 26, 4. & Jacobi Gen. 28, 14.* tandem autem limitata est in  *Davide, filio Jesse, 2. Sam. 7, 12. Ps. 89, 4. 5. Ps. 132, 11.* & in casta matre, *immaculata virgine, Es. 7, 14.* ad complementum deducta. Tempus verò adventus *Messiani* designatum est, ablatò scilicet sceptrò de *Juda, atq; Legislatore de pedibus ejus, Gen. 49, 10.*

IV. Quoniam autem ex *Geneal. Evangelistarum* patet, & in seqq. adhuc clarius apparebit, **JESUM HUNC NAZARENUM** sceptrò atq; Legislatore de *Juda* ablatò ex *virgine Maria,* atq; ex designatis familiis prognatum esse, firmiter concludimus, illum verum esse mundi *Messiam,* quippe in quo omnia vaticinia & *Prophetiæ* terminantur, in quo omnes promissiones ita & *Amen* sunt, in quem omnes *Prophetarum* linguæ conspirant, Eum esse mundi *Agnem Job. 1, 29. mactatum ab initio mundi Apoc. 5, 12.*

## GENERALIS GENEALOGIARUM

ΔΙΑΣΚΕΨΙΣ.

V. Antequam autem ad enucleationem *Genealogiarum* ab *Evangelistis* designatarum nos accingamus, pauca præliminari loco de *Genealogiarum* usu & abusu dicemus.

VI. Quântò verò proclivior est via cognitio vocabulorum, ad rem ipsam cognoscendam, tantò diligentius nobis de *Genealogiis* acturis prius in vocem ipsam est inquirendum.

VII. *Genealogia* vox Græca est, & dicitur λόγος περί τῆ γενέσεως vel γενεᾶς h, e, sermo de genere, generatione sive Majoribus.

VIII.

VIII. Variè autem hi termini homogenei γενεαλογίας, γένεσις & γενεά in S. Scriptura imprimis usurpantur. In verbis Mosaicis Gen. 6, 9. *Hæ sunt generationes Noe, integram historicam narrationem designat vox Generationis, cui recitata Noe familia mox insuper iusta eius vita, architectura arca & introitus in eandem &c. subjunguntur. Idem est iudicium de loco Gen. 25, 19. ubi post expressam Isaaci originem, insimul etiam conjugium, partus filiorum &c. exprimuntur.*

IX. Deinde vocabulum γενεαλογίας planè impropriam sustinet significationem, dum pro creatione & conditura cuiusdam rei usurpatur, quo in sensu Gen 2, 4. dicitur: *Istæ sunt generationes cœli & terræ, pro hōc modō à DEo cœlum & terra condita & creata sunt, prout etiam immediate subjicitur, quando creata sunt, in die, quo fecit Deus cœlum & terram & omne virgultum agri &c.*

X. Tertiò quoq; per generationem certum hominum genus, quod ob morum & naturæ similitudinem pro una generatione habetur, etiamsi diversis locis & temporibus vixerit, notatur, sicuti Luc. 16, 8. *Filii huius mundi prudentiores dicuntur filiis lucis, εἰς τὴν γενεάν τὴν ἑαυτῶν i. e. inter suos vel potius in suis rebus & negotiis, nempe carnalibus, in quibus admodum sunt solertes & industrii. Hunc in sensum dicit Salomon Prov. 30, v. 11. 12. 13. 14. *Esse generationem, quæ sibi munda videatur: esse generationem, cujus excelsæ sint oculorum palpebræ.* Sic quoq; Ps. 14. generatio justorum & Ps. 24. generatio quærentium DEum dicitur.*

XI. Quarto ipsam quoq; quandoq; gentem & nationem certam significat, quemadmodum Salvator Matth. 24, 34. asseverat, generationem istam non transituram, donec omnia fiant, gentem Judaicam intelligens non transituram.

XII. *Proporro Scriptura etiam, seculum & centenarium annorum intervallum, a solet vocare generationem, cui scilicet à Latinis centum anni tribuuntur: Prout Gen. XV. 16. prædictum est Abrahamæ semen reversurum esse in terram sanctam in generatione quarta, quam vers. 13. de quadringentis annis interpretatur: quia eo tempore ætas hominum centesimum annum attingebat, teste Osiandro in h.l.*

XIII. *Sextò quoq; Scriptura in more positum est, ut homines eos omnes, qui uno tempore unà vivunt generationis nomine appellitet. Quemadmodum Noah justus dicitur fuisse & perfectus in sua generatione i.e. inter suæ ætatis mortales Gen. 6, 9. Sir. 44, 17. quatenus conferri poterat ad impium, hominum, qui illa ætate vixerunt, colluviem. Sic Exod. 1. dicitur Joseph & universa illa generatio mortua i. e. eorum temporum homines in vivis esse desierunt cum Josepho.*

XIV. *Septimo quoq; (ut ad nostrum textum propius accedamus) certarum hominum successiones sese invicem gignentium & propagantium indicat. Sicuti Mattheus c. 1, 14. universas generationes ab Abraham usq; ad David fuisse *γενεάς δεκάττας* affirmat i.e. tot successiones & commutationes filiorum post parentes in una vixisse linea.*

XV. *Octavo tandem propriissimè sumitur, uti h.l. pro computatione generis, quando illud ab atavis & abavis, tanquam primis familiæ fundatoribus, repetitur atq; inde deducitur. Quo in significato hinc inde in Genesi alia dicitur esse generatio Semi, alia Esau, alia Ruben, alia aliorum.*

XVI. *In hac significatione h.l. Genealogiam acceptam definimus, quod sit catalogus ad familiam certam cujusdam persone per intermedios Majores, eosq; vel omnes (unde constituitur Genealogia integra) vel præcipuos & illustriores (unde fit interrupta) investigandam directus vel à familiæ radice usq; ad apicem ascendendo, vel contra ab apice ad radicem descendendo.*

XVII. *Hujus definitionis natura ex Genealogiis ab Evangelistis Matthæo & Lucâ designatis, ipsaq; è contra ex data*



data definitione pateſcent. Adeſt certa perſona, Meſſias  
nempe recens natus, cujus genus & proſapiam recenſent  
Evangeliftæ. Adſunt certæ intermediæ perſonæ ſive majores,  
per quos facta eſt ſupputatio. Lucas omnes & ſingulos  
Majores ab Heli uſq; ad Adamum recenſet; Matthæus au-  
tem certis de cauſis, ut jam jam dicetur, filium interrumpit,  
& quosdam ſilentiõ præterit. Quapropter per ſe conſtat  
illum occupatum eſſe in pertexenda Genealogia integra;  
hunc verõ, quia nonnullos inter recenſendum, eã, qua va-  
luit Autoritate, omittit, ſeriem obſervãſſe interruptam.  
Hunc deniq; recto, iſtum retrogrado incedere ordine.

XVIII. Diſcuſſo igitur τὸ τί ἐſτι, non opus erit longi-  
us inquirere in Genealogiarum τὸ ὅτι. Exercuerunt ſe ſanè  
in hac materia ſcriptores tam ſacri, quàm Prophani, Græ-  
ci & Latini, Poetæ æquè ac Hiſtorici perquam multi. Heſio-  
dus copioſè Genealogias Heroum, Muſarum, Nympharum  
ab ipſis deducit Diis. Homerus ſuum Achillem majoribus  
ornat. Plutarchus ſuos illuſtres viros plerumq; ad primos  
quosdam, & eximios deducit, ut videre eſt in Lycurgo, The-  
ſeo, Solone & aliis. Apud Judæos Genealogiarum uſus tam  
creber fuit, ut multa & gravia litigia inde exorta ſint, unde  
Apoſtolus commotus eſt ſuum Timotheum hortari, ut ſe ab  
iis abſtineat, quippe que quæſtiones magis præſtant, quàm ædifi-  
cationem DEI, qua eſt in fide 1. Tim. 1, 4 Tit. 3, 9.

XIX. Cæterum legitimus Genealogiarum uſus, ſinis &  
copus apud Judæos inſerviebat tam ad Politiam conſtituendam,  
conſtitutamq; conſervandam, quàm ad veram Eccleſiam co-  
gnoſcendam.

XX. Ad Politiam: Hæc enim ratione abſq; omni, du-  
bit DEus πολιτεία Iſraelis certo tempore diſtinctum à re-  
liquis nationibus ſervare voluit, quod fieri non poterat, ni-  
ſi proſapiæ diligenter annotatæ fuiſſent. De hinc DEi ſeria  
voluntas & præſcriptio erat, ut terra promiſſa inter tribus  
forte diſtribueretur, diſtinctaq; in ſingulas tribus ad poſte-  
ros hæreditario jure perveniret. Qua autem ratione & unde  
hoc

hoc negotium, nisi annotatis Genethliacis procedere potuisset?

XXI. Deinde in Ecclesia non minorem Genealogiæ præbebant utilitatem. Conjugia enim ineuntibus statim in propatulo erat, qui gradus liciti, qui illiciti essent, non solum in propinquis, ut nepotibus & patruelibus, sed etiam in remotis gradibus: cum Lex esset, ut singuli de suis uxores ducerent, & vice versa singulæ maritarentur in suis tribus. Num. 36, v. 6. & seqq. Præterea annotatio Genealogiarum medium fuit discernendi profapiam Caini ab illis; qui ab Adamo per Seth descenderunt, h. e. fidelium ab improbis & incredulis. Quibus ultimò accedit, ut Jesu Christi natiuitas firmo constaret talo. Qui cum promissus esset Patribus Gen. 3, 15. c. 12, 3. c. 18, 18. c. 22, 18. c. 26, 4. c. 28, 14. 2 Sam. 7, 12. Ps. 89, 45. Ps. 132, 11. necessum utiq; erat, eorum conscribere generis propagines, annotare successiones & legitimam posteritatem studiosè recensere. Quomodo enim alioquin constare potuisset Mesiam secundum promissionem ex illis originem traxisse?

XXII. Et hæ præcipuæ fuere causa, cur à Judæis imprimis Genealogiæ tam sanctè observatæ, religiosè custoditæ sint. Hodiè verò cessante fine, cessant & ipsæ Genealogiarum religiosæ descriptiones. Cum n. Politia Mosaica sit destructa, Ecclesia Christi non amplius certo loco ad certum tempus ad certumq; populum alligata juxta effatum Pauli: Non est distinctio vel Judæi vel Græci, idem Dominus omnium, dives in omnes invocantes se Rom. 10, 12. Ipse deniq; Mesias sceptro atq; Legislatore de Jnda ablato sit exhibitus, Genealogiæ in N. T. in tanto censu amplius non habentur, quamvis earum legitimum non improbemus usum,

Ufus habet laudem, crimen abusus habet.

XXIII. Cavendum autem sedulo est monente D. Paulo 1. Tim. 3, 4. ne fabulæ inde exsurgant nunquam finiendæ, quæ quæstiones præbent magis inutiles, quàm faciant ad edificationem DEI per fidem. Stultæ enim istæ ζητήσεις ἀνωφελεῖς καὶ μάταιος ἔργος εἰσιν. Tit. 3, 9. Tantum in genere de Genealogiis præliminari loco.

DISCRI-

# DISCRIMEN GENEAL. INTER MAT- THÆLIM ET LU- CAM.

XXIV. Nunc ad scopum nostrum ut perveniamus Genealogias ipsas à Matthæo & Luca designatas perlustrabimus.

XXV. *Principio quidem non illibenter agnoscimus aliquid discriminis (sine tamen crimine) inter distinctas has Lucae & Matthæi Genealogias intercedere.*

XXVI. Et quidem quoad ordinem Matthæus per *κατὰ γενεάν* sive descensum ab Abrahamo progreditur ad Christum; Lucas verò per *ἀναβασιν* & ascensum à Josepho ad primi hominis creationem. Qui ordo numerandi in Geneal. licitus nihil addit, nec quicquam derogat rei veritati. Matthæus ultra Abrahamum genus non extendit; Lucas ad Adam usq; progreditur, ostendens doctrinam de fide in Christum, de redemptione per Christum non hodie demum è cerebro hominum enatam, sed ab initio mundi in vera fundatam atq; promissam Ecclesia, *ut omnis, qui credit in Messiam, habeat vitam aeternam, & qui non credit in Christum, qui illum ignorat, vitam non habeat Job. 3, 16, 17, 18.* Eo ipso etiam, dum Lucas Genealogiam Christi ad Adamum usq; extendit, ostenditur Christum non ad *Judeos* solùm, sed etiam ad omnes *Gentes*, totamq; Adami posteritatem pertinere, & ita redemptionem Christi universim spectare ad corruptam nostram naturam.

XXVII. Porro Lucas seriem Patriarcharum ad Adamum usq; per posteros Noe & Sethi continuavit, ut demonstraret, lineam, ex qua nasciturus esset Messias, fuisse semper à Spiritu S. luculenter indicatam, & à DEo deficiente Cainitarum generatione conservatam atq; post diluvium per Semum Noe filium propagatam.

B

XXVIII

XXVIII. Addimus & hoc discriminis inter Matthæum & Lucam occurrere: Quod ille *totam Genealogiam in tres Tessaradecades* distinguens hoc sibi sumserit privilegium, ut quosdam omittat, quo de infra. Hic verò *omnes sigillatim*, enumeret, nullò omisso. Phedaja enim, quem Piscator Salathielem & Zorobabelem ab Evangelista Luca omissem refert, non ex Nathane, sed ex Salomone suum trahit ortum, sacro teste Chronologò 1. Paral. 3, v. 10. 19. *Matthæus* numerum ut Majorum Christi exponeret certum, à Davide usq; ad Christum generat. 28. à Salathiele usq; ad Joseph. 12. numerat, *Lucas* à Davide usq; ad Christum generationes 42. à Salathiele usq; ad Joseph 21. recenset. Universè Matthæus τριακάδεν αδάς tres, personas 42; Lucas 77. profert.

XXIX. In ipsis his nominibus deniq; magna est variatio, ob quam Judæorum Rabini historiarum Evangelistarum incertitudinis, imò falsitatis notam in urere veriti non sunt. Quæ tamen discrepantia tanti momenti non est, ut cum incredulis istis & abjuratis Christi occisoribus fidem nostram etiam ab juremus: partim enim recensendo solvitur, partim in ipsa textus explicatione diluitur: utpote 1. quod patrem Josephi quem *Matthæus Jacobum* dicit, *Lucas Heli* constituat. 2. Quod idem loco *Jechonia Neri* nominet & alios præterea à Matthæo omisos. 3. Unus per *Salomonem*, alter per *Nathanem* ejusq; posteros genealogiam Messie recenset.

XXX. Causa hujus discrepantiæ unicè latet in distinctis diversisq; Genealogiis: *Matthæus* enim à Davide per *Salomonem*, Josephi Patris ως ένομιζες, *Luc. 3, 23.* *Lucas* à Davide per *Nathanem*, *Maria* genus adaperuit. Cujus rei iterum duplex assignari solet ratio: *Prior*, ut constet Mariam esse ex domo Davidis, licet non per lineam Salomonis, ejusq; posterorum, penes quos plures annos Regia potestas fuit. *Posterior*, ut appareat Mariam desponsatam Josepho, non in domum alterius tribus aut familiæ, sed in domum  
& fa-

& familiam Davidis translata esse. Ut ita undiq; firmis-  
sime probetur, Christum nostrum esse ex domo & familia  
Davidis, sive censeatur ex familia matris, ex qua (virgine)  
natus est, sive ex illa familia in quam Maria per desponsa-  
tionem abiit. Quas rationes firmissimas fusius in seqq. ape-  
riemus.

XXXI. Sed hic dicam nobis scribunt illi, qui senti-  
unt, Matthæum & Lucam, per diversas licet lineas, *unam*  
tamen eandemq; *duntaxat texere Genealogiam*. Sed rationes,  
quibus dimicant, tam firmæ non sunt, ut in illorum abea-  
mus sententiam. *Primo dicunt: Evangelistas unâ eademq; fi-*  
*deliâ duos de abasse parietes*; dum enim genus & familiam  
Josephi detexerunt, Mariæ simul aperuisse, quia Maria per  
conjugium in familiam Josephi venerit *juxta legem de non*  
*nubendo extra familiam Num. 36, 8*. Resp. Hanc legem suas pati  
exceptiones & limitationes atq; non ita strictè esse accipi-  
endam, ut videre est, ex ipso hujus præscriptæ & citatæ le-  
gis contextu. In ipsa etiam hac genealogia Christi quædam  
mulierculæ sunt Cananææ, quædam Moabitides, quarum  
tamen Mariti ex tribu Juda. Proinde Lex hæc tantummo-  
do loquitur de *ἐπικληροῖς* sive hæredibus, ad quas, defun-  
ctis fratribus, tota est devoluta hæreditas; nõ de *ἐπιπροίκοις*,  
quæ è bonis paternis certum quid sumebant in dotem. Illis  
utiq; licitum fuit extra tribum nubere *Num. 36, 6*. Et hoc  
virginum discrimen in causis matrimonialibus etiam apud  
*Cypros & Athenienses* obtinuit teste *Vossio in dissertat. de Ge-*  
*neal. Christi, p. 6.*

XXXII. Non possumus autem h. l. præterire errorem  
Clariss. hujus Vossij, qui in citata dissert. de Geneal. Christi  
c. 1. §. 10. p. 5. asserit. *Naasson* Principem tribus Judæ, *Elisabe-*  
*tham priorem Aaronis filiam*, uxorem duxisse. Cum ista Elise-  
ba non Aaronis, sed Aminadabi fuerit filia, eamq; non fra-  
ter Naasson, sed Aaron sibi junxerit matrimonio, uti con-  
stat ex oraculo Mosaico. *Exod. 6, 23*. Hoc autem certum est

ex loco citato, quod Aaron Levita, summusq; Pontifex cum Principissa ex tribu Juda, lege de non nubendo extra familiam non rigorosè observatâ, connubium inierit. Et David J sseus Michol Benjamitidis Saulis filiam, 1. Sam. 18, 27. & Jorada Pontifex (ut nihil dicam de Salomone, Pharaonis filiam ducente, 1. Reg. 3, 1.) Josebam sive Josabeath, Regis Jorami filiam, Ahasiæ sororem, duxerint 2. Reg. 11, 2. 2. Chron. 22, 11. Quo etiam spectat, quod Judicum ultimò v. 1. Tribus aliæ jurant, se non daturas filias suas Benjamitis propter scelus ab iis patratum: è quo probari potest, quod antequam ista dissidia erant orta, earum gnatae nupserint Benjamitis.

XXXIII. Quia vero (ut jam dicta præsentis materiæ applicemus) nullus Evangelistarum verbò indicat, Mariam fundum aliquem possedisse; idq; cum descriptione ejus paupertatis non quadrat, utiq; liberum ei erat extra familiam Davidis, imò extra tribum Judæ nubere: unde sequitur detectâ genealogiâ Josephi, non statim Maria etiam patescere genus, quippe quæ ex alia stirpe esse poterat. Quid? Si dicemus, Mariam fuisse è tribu Levi, quia Elisabethæ συγγενής? (Quam tamen opinionem nostram non facimus) Numne & ideò perscripta Genealogia mariti, ex tribu Juda, etiam maritæ, ex tribu Levi γενεὰ esse poterit, ? Non putamus!

XXXIV. Ut autem imbecillitas assertionis, quod detectâ familiâ Josephi prosapia Mariæ simul detecta fuerit, eò magis appareat, & hac eam infringemus responsione: Legi nempe de non nubendo extra familiam satisfactum esse, si modo ex eadem tribu sponsus & sponsa suum traherent ortum. Jam autem tribus Juda multas habebat familias teste S. Scripturâ, 1. Par. 2, v. 3. & seqq. è quibus Joseph & Maria matrimonia contra here potuissent. Nihil igitur apertius, quàm ex eo, si Joseph vel Maria nupisset contribuli, minimè consequi, nupuisse alicui è stemmate Davidis. Hinc necesse erat  
re hac

re hac in ardua ad confirmandam fidem distinctarum personarum distinctas texere Genealogias.

XXXV. Frivolum est, quod dicunt, Evangelistas non Mariæ, sed Josephi contexuisse Genealogiam ideo, *ne Judæi in ipso primo aditu mysterio incarnationis Christi ex sola virgine offenderentur.* Numne autem facienda sunt mala, ut inde eveniant bona? minime! Evangelistæ certè ob vitandum scandalum Pharisaicum rei veritatem non celâssent, multò minus errores dissimulatione aliquâ fovissent. Nec est, quod Evangelistæ se *accommodaverint ad captum vulgi*, qui putabat, & certò credebatur, Jesum ex Josepho natum verum esse Messiam, si modò hoc demonstraretur, Josephum esse ex stirpe & familia Davidis. Sed neq; hunc errorem fingentem Christum ex semine Josephi natum Evangelistæ fovissent, sed potius strenuè refutassent.

XXXVI. Multo minus satisfacit huic quæstioni, quod dicunt, non esse *morem scripturæ mulierum describere Genealogias.* Alia enim est ratio genealogiarum, ubi ambo parentes naturales adsunt, ibi utiq; magis respicitur ad patrem, quàm ad matrem. Quamvis hinc diebus mulierum, non minus, quàm virorum in Genealogiis fiat mentio, ut ostendatur, ex qua & ipsæ originem habeant, quiq; ex illis nascantur, quod etiam in V.T. observatum *1. Par. 2. v 3 & 4.* Alia deniq; ratio est habenda Genealogiæ, ubi *unica mater* inter nos homines vices sustinet parentum. A qua persona hinc deducatur Genealogia? Non sanè à patre, qui nullus est. E à matre.

XXXVII. Necessariò igitur Evangelista Lucas genealogiam Mariæ adaperuit. Non enim sufficiebat Matthæi famæ & opinioni hominum consuluisse, Josepho, patri Christi putativo, genealogiam erexisse atq; ad oculos *demonstrasse Josephum esse è familia Davidis.* Veritati divinarum promissionum etiam subveniendum erat, cui egregiè consuluit Lucas erigendo *genealogiam Mariæ.*

XXXVIII. Audiamus quæso insuper, quàm miserè se torqueant hujus opinionis ventilatores in explicanda

discrepantia, quæ est in his Genealogiis. In recensendis enim nominibus Evangelistæ à Davide usq; ad Josephum non conveniunt nisi in Salathiele & Zorobabele, quos tamen planè diversos esse, jamjam demonstratum dabitur. Primam causam discrepantiæ faciunt, quod apud Hebr. multi binomines fuerint, ideoq; unius hominis à diversis scriptoribus aliud atq; aliud nomen poni. Quid autem quæso absurdius, quàm omnes istos fuisse binomines, ac placitum fuisse Lucæ, semper eos isto vocare nomine, quo videret abstinuisse Matthæum? Hanc *διωνομίαν* forsitan quis in uno atq; altero facile admittere posset, haud ita verò in tam multis, ut ipse D. Calixtus, hujus opinionis strenuus propugnator in *Concord. Evang. p. 16.* fateri habet necesse.

XXXIX. Porro dicunt: recenseri à Matthæo patres naturales, à Luca Legales, quibus defunctis fratres superstites, & quidem germani ex relictis conjugibus excitârunt semen Gen. 38, 9. Deut. 25, 5. Sed, num quivis ex annotatis his personis patrem habuit & naturalem & legalem? Addimus & hoc à Davide ad Josephum à Matthæo adjectis tribus Regibus omis- sis recitantur generationis XXX; Lucas verò à Davide ad Eli generationes recenset XLI. Jam si unicuique attribua- mus & patrem legalem & naturalem, supererunt adhuc XI. si autem hæ genealogiæ jam quadrare debent, hos quo refe- ramus? Nullum aliud cum illis scimus refugium, quàm ut statuamus, partem eorum etiam habuisse patres sive filios adopti- vos: Nam & illi, qui olim in regnum vel privatam hereditatem adoptabantur, filii nomine censebantur. Sed quis sibi saltem imaginari potest omnes tres conditiones, legem, naturam & adoptionem scilicet, in unico simul concurrere posse exemplo? Propterea si variatio nominum ulterius urgetur, tandem eò fugiant, ut dicant: Davidi Salomonem subjungi à Matthæo, Nathanem à Luca & variare deinceps nomina usq; ad Salathielem, quod Salathiel à Davide descendat & secundum Patrem & secundum matrem. Atq; ideo cum paterna linea à Matthæo recensita fuisset, à Luca subjunctam esse maternam descendantem à Nathane, alio Davidis filio 2. Sam. 5, 15. ut intelligeretur, quomo- do u-



do utraq; stirps Davidis in Salathiele convenisset! Reliquam deinde discrepantiam à Zorobabele usq; ad Josephum excusant lege & adoptione, vid. *Calixt. l.c. p.17.*

XL. Frustraneum autem est, quod suæ assertionis præsidium quarant in nominibus Salathielis & Zorobabelis dicentes: in *Genealogiis Matthæi & Lucæ eadem reperiri nomina Salathiel & Zorobabel. E. apud Evangelistas Matthæum & Lucam una eademq; est Genealogia.* Æque firmum est, ac si concluderem. Matthan & Levi bis reperiuntur apud Lucam. E. eadem etiam sunt personæ. Fallunt certè & falluntur, qui Salathielem & Zorobabelem apud Matthæum & Lucam eosdem putant. Apud Lucam *Salathiel à Neri est, & Salathielis filius Zorobabel filium genuit Resam.* Apud Matthæum *Salathiel è Jechonia est, & filius Zorobabel filium habuit Abiudem 1.Chron. 3.v.17.18.19.* Casu igitur factum est, ut in utraque genealogia duo unius nominis fuerint, ipsi in se homines diversi, ad diversas, distinctasq; spectantes genealogias. Hisce enim adhuc diebus eadem nomina, præsertim, quæ vel boni ominis sunt, vel præstantiorum virorum nomina fuere, pluribus imponi solent.

XLI. Destructio sic convenientiæ Genealogiarum fundamentò, earum disconvenientia in personis intermediis facilè patebit, quod scilicet à diversis Evangelistis diversæ exaratae sint genealogiæ incipiendo à Davide: *Ab Abrahamo enim usq; ad Davidem planè inter se conveniunt: à Davide autem per Nathanem Lucas recenset Genealogiam Mariæ, Matthæus per Salomonem Josephi.*

## TEXTUS MATTHÆI.

XLII. Jam textum ipsum inspiciemus & ordine singula delibabimus. Ita autem exorditur Matthæus genealogiam Christi: *βίβλος γενέσεως Ἰησοῦ χριστοῦ, υἱοῦ Αβραάμ.* Sic ad verbum habet textus Græcus, Latinus, Syriacus, Arabicus, Egyptius, Persicus. Æthiopicus verò simpliciter habet: *Genea*

Genealogia Jesu Christi. Non aliter ac Moses Genealogiam Adami *Gen. 5, 1.* librum vocat generationis. Pertinet autem hic titulus tantum ad *primam* capitis partem, & idem est ac si dixisset: Series familiae Christi. Non enim hic per librum generationis intelligitur liber *de vita Christi*, ut male contendit *Maldonatus*. Hebraei quamlibet Scripturam, etiam aliquot saltem linearum, in qua aliquid describitur, narratur & enumeratur, librum vocant. Prouti charta dimissionis βιβλίον ἀποσεσίς vocatur, *Matib. 19, 7.* literas contractus Jeremias librum vocat emptionis c. 32. Sic liber justorum vocatur Catalogus, in quo justorum nomina notabantur & facta. Sic & liber vitae est Catalogus Electorum, qui in mente Dei, in libro quasi conscripti sunt, & ad vitam aeternam destinati. Judaei insuper quamcunq; genealogiam sive breviter sive prolixè descriptam librum vocant *generationis*. Syrus Paraphrastes non inconvenienter vocabulum Græc. βιβλος seu potius Hebr. ספר per כתבו Ketobo, h. e. descriptionem, Catalogum, seriem sive recensionem generationum reddidit.

XLII. Vocabulum enim Hebr. ספר descendens à radice ספר enumerare, recensere &c. (unde nonnulli etiam Siphra vel Cifra h. e. numerus & computus deducunt) propriè nihil aliud, quam enumerationem, recensionem denotat. Nomen הולדות (quod est à radice ילד genuit, generavit, cum de Viris; peperit cum de foeminis usurpatur) quidam genus, *genealogiam* vertunt, propriè autem *generationem* significat. Semper autem in constructione cum altero usurpatur substantivo. Non in congruè igitur hæc verba ספר הולדות vi vocum rei q; veritate etiam reddere possumus: *librum*, Catalogum, sive *enumerationem generationum* (plures enim ab Adamo usq; ad Christum intercesse) è quibus natus est Jesus Christus, filius David. Et tantum de titulo.

XLIII. Nomen *Jesus* quod attinet, proprium illud dicimus verbi *λόγος* incarnati, ei q; κατ' ἐξοχήν tribui. Nam licet

licet & alii nomen hoc Jesu obtinere, veluti *Josuab*, Dux  
populi Israelitici, *Jos 1. Josuab summus Pontifex Zach. 1.* dispar-  
tamen est ratio: Hi enim ut typi nomen hoc sortiti sunt  
impositione hominum; Iste verò Archetypus ab ipso Ange-  
lo *Matth. 1, 21. Luc. 1, 31.* Observatu dignum est, quod Rabbi-  
ni Christum antequam nasceretur, Jesum vocârunt. Unde  
*Rabbi Hakkadosch*, qui ante Christum vixit: *Messias*, inquit,  
*animas ab inferno liberabit, quo nomine Jesus vocabitur, i.e. Ser-*  
*vator.* Idem etiam ex verbis *Esaie: Ecce virgo concipiet &c.*  
per Geometricam, Cabalæ quandam regulam virginis in-  
vestigavit nomen, & Mariâ eâ vocavit, uti recenset *Lubinus*,  
*in Monotess. p. 59.* Sed ut ad nostrû nomen JESUS redeamus,  
istud origine Hebr. יהושע & contractè ישוע Salvator de-  
scendit ab inusitata rad. ישע quod in Hiphil יהושע salva-  
vit, salvum fecit &c. denotat. Mariæ igitur filius nomen &  
omen habet, quod vocatur *JESUS*. Ille enim solus nos sal-  
vat, *Act. 4, 42.* & quidem ab omni malo, *Matth. 1, 21. Job. 1,*  
*7.* ut nulla nobis remaneat condemnatio *Rom. 8, 2.*

XLIV. *Χριστός* dicitur Græcè *παρά τῆς χρείω*, quod un-  
go significat. Sicut Hebr. משיח unctus à rad. משה unxit.  
Nomen hoc officii & dignitatis verbi incarnati est. *Christus*  
enim à Spiritu S. in Prophetam, Sacerdotem & Regem præter  
mensuram unctus est *Job. 3, 34. Act. 10, 38. Ps. 45, 8.* *Jesus* insuper  
*Messias, Christus, unctus* dicitur, quod verè ille esset, quem  
uncti Reges & sacerdotes in V.T. repræsenterent, *Dan. 9,*  
*25. 26.*

XLV. *Ἰσραβιβ, Ἰσραβραάμ.* *Christus* vocari potest  
filius Abrahæ & Davidis, tam virtute promissionis, quàm  
fidei, quod his imprimis promissus esset, hiq; firmiter in il-  
lum credidissent. Deinde *Christus* pro agnatis, Parentibus  
& germanis habet, qui voluntatem patris cœlestis exequun-  
tur *Luc. 8, 21.* Quàm strenui autem cultores Dei hi viri se-  
cundum beneplacitum Jehovæ fuerint, testis est hinc inde  
sacer codex. Dein si vocem *יב* consideramus sub ea Hebræ-  
is omnes posterii, qui Latinis nepotes sunt, veniunt. David  
C Abra-

Abrahæ ordine præcedit, quia promissio DEi Davidi facta de Christo ex posteris ejus nascituro recentior erat, specia-  
lior, honorificentiorq; Inde vulgus usitatissima phrasi Mes-  
siam *filium* vocavit *Davidis*, *Matth. 9, 28. c. 12, 23. c. 15, 23. c. 21,*  
*9. Marc. 10, 46.*

XLVI. Propius jam hanc genealogiam Matthæi in-  
trospicientes dicimus Evangelistam eam *in tres distribuisse*  
*Tessaradecades*, non tam memoriæ juvandæ gratiâ, ut quidâ  
contendunt, quàm ut indicaret populi Judaici mutationem  
statûs, idq; potissimum ter, in Abrahamo, Davide, & in Sa-  
lathiele, h. e. in Patriarchis & Judicibus, in Regibus & tan-  
dem in Ducibus & personis privatis. *In prima illa Tessaradeo-*  
*cade* ab Abrahamo usq; ad Davidem inter Matthæum & Lu-  
cam nihil est discriminis, consentitq; omnino cum recensio-  
ne, quæ *1. Chron. 1, 34. & 1. Chron. 2, v. 2. & seqq.* extat. Nihil  
igitur addimus præter hoc: Deum non semper respectum  
habuisse in promissione Messia, ad primogenitum, ut vide-  
re est in Jacobo, Juda & aliis. Huc enim pertinet dictum il-  
lud: *Τὸν Γαμὶβ ἠγάπησα, τὸν δὲ Ηοᾶν ἐμίσησα Rom 9, 13.*  
*Mal. 1, 2.*

XLVII. De singulis personis multa quidem possent  
dici, sed institutum nostrum non est, uniuscujusq; ex his te-  
xere genealogiam, sed saltem quod in dubium vocari pot-  
est, juxta veritatis examinare trutinam. Remittimus ergo  
benevolum Lectorem ad S. codicem, imprimis *ad c. 4. libri*  
*Ruth & ad c. 1. 2. & 3. libri primi Chron.* ubi hæc uberius dedu-  
cuntur genealogiæ.

XLVIII. Primum autem quod in disputationem ve-  
nit, ex *v. 5, c. 1. Matth.* desumptum est: *Σαλμων δὲ ἐγέννησε*  
*τὸν Βοὸζ ἐκ τῆς Ραχαὶβ. Βοὸζ δὲ ἐγέννησε τὸν Ωβηδ ἐκ τῆς Ραθ.*  
Hic Lyrae textus veritatem & *συνάφειαν* indubium vocare  
placuit, plures fingendo Booz. Ab introitu enim in terram  
Canaan ad nativitatem Davidis anni numerantur 366. de  
quo vid. M. Henden im *Biblischen Nahmen und Chronicbuch*  
quò toto tempore tres tantum recitantur generationes Bo-  
oz nempe, Obed & Jesse. Unde Lyra inter lirandum so-  
mniavit

omniavit tres fuisse Booz, cum unus tantum nominetur, ut Salmon genuerit filium nomine Booz, qui cum & ipse genuisset filium, nomen ipsi suum imposuerit Booz, unde porro alius filius natus fuerit ejusdem nominis Booz, qui Rutha fuerit maritus: Et propter Synonymiam duos priores omissos, ac tertium tantum, qui Rutham duxerit in genealogia positum. Sed non opus habemus, ut cum Lyra hac in parte deliremus. Si Salmon enim adolescens Rachab uxorem duxit 30. aut 40. annis post ingressum in terram Canaan, reliqui licet infra centum annos vixerint, numerum tamen assignatum implere potuerunt. Nam eodem illo tempore Moses, quamvis immensis laboribus exagitatus, annos vixit CXX. Deut. 34, 7.

XLIX. Nec præjudicare veritati potest autoritas B. Augustini, qui lib. 2. de doctr. Christi c. 8. tempus vitæ Boozi ad principia refert Regū. Multo minus nos movebit Autoritas Hugonis Cardinalis, ut & Josephi, qui lib. 5. Antiquitatum historiam Ruthæ, quam Booz duxit, sub tempore Heli ponit, inter quod tempus, & inter introitum filiorum Israelis anni præter propter intercedunt trecenti, ut Booz Ruthæ maritus videatur non potuisse Salmonis esse filius. Huic opinioni argumentum præbet, quod liber Rutha finiatur in Davide. E. etiam isto contigerit tempore. Ad quod argumentum respondemus, quod distinguendum sit inter tempus in quo nostra historia scripta & inter tempus, in quo est gesta. Samuel qui vulgo pro Autore hujus libri habetur Coronidem illam de Davide adjecisse potuit. Nam historia Ruthæ revera antiquior est, quam ut ab his censetur. Scribitur enim facta in diebus unius Judicis, eorum scilicet, qui in libro Judicum describuntur. Ipsi Rabbini David Kimchi & alii statuunt Booz, qui Rutham in uxorem duxit, illum fuisse judicem, qui Jud. 12, 8. Ebzan vocatur, qui scilicet Jephthan proximè fuit secutus, per Walk. in officin. Bibl. p. 939. Nostrates verò ut plurimum cum Tremellio & aliis ex Calvinianis ex collatione Matth. 1, 5. cum fine libri Ruthæ conantur ostendere historiam hanc contigisse tempore Debora. Ut ut D. Megal-

lander in Chronol. tempore Ehud hanc historiam accidisse arbitretur.

L. Quoniam igitur Josephum & alios dubios, imò re ipsa falsos deprehendimus veritati adherentes certò credimus *unicum fuisse Booz, Salmonis filium, Ruthæ maritum, qui genuerit Obed, Obed autem Jesse, Ruth 4, 21. 1. Chron. 2, v. 11. 12.* Istum enim Booz cum sua Rutha sub iudicatu Deborahæ & Barac vixisse statuimus.

LI. Nomen Jesse, patris Regis Davidis, aliis punctis Isai, antequam hinc abeamus, perpendere lubet. Præfiguravit hoc nomen ex Jesse proditurum Jesum Messiam. Quævis enim arbor, talis etiam expectandus est fructus. E. ex fructu Jesse profiliit germen Jesus. Utrius nominis Jesse & Jesus nomen si spectamus deprehendimus ab una eademque radice *YWH* profilire nomina.

LII. Quo saltu Evangelista Matthæus ad *tessara decadem* transcendit *secundam, quam à Rege Davide suo incipit modò*, non quidem quod ille primus fuerit Rex in Israel, sed quia in Davide sceptrum tribus Juda juxta vaticinium Jacobi *Gen. 49, 10.* datum & confirmatum, imò quia promissio de Messia tunc iterata & illustrata fuit, *ut 2. Sam. 7, v. 12, 13, 14. Non auferetur de Te vir, qui sedeat super thronum Israel & Ps. 89, 15. Ps. 132, 11. de fructu ventris tui ponam super sedem tuam, donec prorsus auferatur Gen. 49. adventante eo, cui debebatur. Ezech. 21, 27.*

LIII. Sciendum hinc est, ut supra diximus, eos, quos Matthæus à Davide usque ad Salathielem recenset è Salomone descendisse, & sceptrum in Juda tenuisse, quæ enumeratio cum accuratissimè coincidat cum ea, quæ extat *1. Chron. 3, 5. & seqq.* nihil habet scrupuli, quàm quod aliqui Reges à Matthæo silentiò sint præteriti, quos tamen liber Chronicorum habet, *Ochozia nempe Joas, & Amasia.*

LIV. Verba textus sunt *v. 8. Ἰωρὰμ δὲ ἐγέννησε τὸν ὀζίαν*, cum constet *ex 1. Par. 3, v. 11, & 12.* hoc non immediatè sed mediatè factum esse, *Joram enim genuit Ochoziam, ex quo*

quo ortus est Joas. Et hujus filius Amasias tandem genuit Osi-  
am sive Azariam Conf. 2. Reg. 8, 25. c. 11, 21. c. 14, 1. Tres autem hi  
Reges Ochozia, Joas & Amasia ideo quibusdam videntur om-  
missi, quia è filia Achabi erant nati, cujus familiam ob d'oe-  
Besav idololatricam penitus se deleturum minatus erat De-  
us 1. Reg. 21, v. 21 & 22. qui justâ inductus causâ cominatio-  
nis suæ fervorem in quartam exercebat genealogiam. Exod.  
20, 5. Licet enim hi Reges regnârint, capite tamen quasi mi-  
nuti & civiliter mortui è familia Christi à Matthæi viden-  
tur expungi. Sed si hoc procederet, ne Salmon, nec Achaz,  
nec Manasses, ut insignes peccatores, in hoc perstare possent  
Catalogo.

LV. Matthæi, ut jam dictum, propositum non fuit  
singulorum recensere nomina, præsertim in secunda hac tes-  
saradecade, cum qua summum Iudæ claudere volebat regi-  
men. Imò in sequenti tertia tessaradecade plures creduntur  
omissi, ne numerus XIV. excederet. Et hoc etiam non ra-  
rò in usu est apud Genealogiarum scriptores, quod scilicet  
intermedias silentiò prætereant personas. Ea etiam de cau-  
sa dividimus Geneal. in integras & interruptas, de quibus  
supra jam aliquid annotavimus.

LVI. Caspari Sanchetz hac in re sententia est in Com-  
ment. super 2. lib. Reg. c. 14, 18. Matthæum hos tres Reges non omi-  
sisse, sed addidisse, itaq; scripsisse: Joram genuit Ochoziam, Ocho-  
zias genuit Joam, Joas genuit Amasiam, Amasias genuit Oziam  
&c. Sed descriptorem Matthæi ob similitudinem Ochozia & O-  
zia, fallente oculorum jactu ab Ochozia transilisse ad Oziam, uti  
factum est, vers. 12. Verùm prior saltus nimis magnus & e-  
normis est, ut etiam à parte Pontificiorum Cornelius à Lapi-  
de fateri necesse habet, quem errorem si unus descriptor  
fallente oculò commisisset, alii tamen correxissent. Jam  
autem omnia Exemplaria Græca, Latina, Syriaca, Arabica  
&c. legunt: Joram genuit Oziam, non Ochoziam. Deinde  
si hi tres Reges, Ochozia, Joas & Amasia intersererentur, e-  
vadent generationes à Davide usq; ad transmigrationem  
C 3 Baby-

Babyloniam septendecim, cum tamen Evangelista Mat-  
thaus disertè XIV. tantum numerit, v. 17. Vim itaq; hæc  
opinio Sanchiezi trinæ generationum tessaradecadi infe-  
rens sibi lō est. explodenda.

LVII. Porro aliquid considerationis habent in *secunda*  
hac *tessaradecade* verba ista: *Josias genuit Jechoniam in trans-*  
*migratione Babylonica*, cum tamen Josias mortuus sit octen-  
nio ante filii sui Jojakimi captivitatem, ne secundum pro-  
missionem Dei exilii malum videret. 2 *Par.* 34. 28. Et deinde  
durante deportatione omnes Jechoniæ agnati vitâ jam fue-  
runt functi, ut patet ex 2. *Reg. ult.* v. 19. 20. 21.

LVIII. Antequam autem ad hoc respondeamus, ope-  
ræ pretium duximus hîc aliquid de distinctis istis Judæorū  
captivitatibus & transmigrationsibus in Babylonem recen-  
sere. *Prima captivitas* circa finem Regiæ Majestatis. Tribus  
Judæ (simpliciter aliàs prima captivitas dicenda est per  
*Walch in Harm. Bibl.* p. 715. in qua Rex Manasses in Babylo-  
nem abductus fuit 2. *Chron.* 33. v. 11.) contigit annō octavō  
imperii Jojakimi, ubi Nebucadnezar Babylonius, Nabo-  
pollasaris filius à patre adversus hostes missus victo & in  
Ægyptum repulso Pharaone Necho, *Ier.* 46. expeditionem  
in Judæos suscepit, & Hierosolymâ occupatâ, *Dan.* 1. 2. Da-  
nielem cum aliis generosis Procerum filiis Babylonem ab-  
duxit, populumq; ad tributa solvenda coegit, 2. *Reg.* 23. 35.  
Sed cum triennio post Rex Jojakim Regi Babylonis tribu-  
tum negaret, *altera vice* ascendens Nebucadnezar, annō  
Imperii sui, ut ex *Ier.* 52. 28 patet, septimō, Syrorum, Chal-  
dæorum, Ammonitarum & Moabitarum auxiliis suffultus,  
Jojakimum ad pristinam redegit servitutem, atq; in vincu-  
lis 2. *Chron.* 36. 6. Babylonem (ubi tandem mortuus, nec  
suorum Majorum monumentis illatus est, *Ier.* 22. 19.) abdu-  
xit, quo eum comitati sunt Judæi captivi ter mille & vigin-  
ti tres, *Ier.* 52. 28. Cum nonnullis templi vasis *Par.* 36. 7. Re-  
cedens autem Rex Nebucadnezar ex Judæa claves Imperii  
filio Jojakimi, nomine Jechoniæ concredidit. Sed mox Re-  
gem



gem Babylonium Jechoniae regnum dedisse poenituit, verum, ne memor injuriarum patri illatarum ad defectionem sollicitaret Judæos. Ideoq; post tres menses in Judæam *tertiâ vice* reversus Regem cum matre cepit, vasa & thesauros templi corrasit, secumq; decem millia captivorum Babylonem abduxit, septem scil. millia de aliis tribubus, *viden mâchtigen im Land* ut Luth. reddidit 2. Reg. 24, 15. & tria millia de tribu Juda, ut ita omnium captivorum, cum Jechonia abductorum, collectimq; sumptorum, decem fuerint millia 2. Reg. 24, 14. quam reconciliationem inter *vers.* 14. & 16. cap. 24. libri secundi Regum D. Friedlibius in *Observat. suis Biblicis instituit. p. 408.*

LIX. Ab hac transportatione secundum *Josephum, B. Lutberum, D. Helvicum in Theatro suo Histor. Chronolog p. 58.* calculus 70. annorum instituitur captivitatis Babylonicae contigit A. M. 3350. ante Christum natum 598. vid. *Helvicus d. l. M. Heyden in Chron. sacra Tab. 6.* de qua captivitate multum scripsere & differuere Prophetæ, Jesaias, Jeremias, Ezechiel, Daniel & Zacharias. *Quarta* deniq; & omnium crudelissima *transportatio* secuta est post undecim annos, annô scilicet undecimô & ultimô Regis è Salomonis stirpe cum potestate ultimi *Zedekia* sive *Mathania* nomine, Regis Iosia filii 2. *Chron. 36, 11.* Jechoniâ, filiô Jojakim, in captivitatem abductô Rex Nebucadnezar patrum, fratrem Jojakimi, in regnum constituerat: sed cum primis statim regni annis de jugo Assyriaco excutiendo consilia ageret. *Jer. 27, 3.* Nebucadnezar triennali rursus obsidione Hierosolymam presit, urbeq; expugnatâ, murisq; dirutis templum, Regiam, imô totam urbem in cineres redegit; Regi ipsi ex fugâ retracto, oculos, quibus jamjam Regiam videbat familiam deleri, effodit *Jer. 52, à v. 1, 11.* Excæcatum cum octingentis triginta & duobus captivis secum Babylonem attraxit, annô Imperii sui decimô octavô *Jer. 52, 29.* *Ultima* huic transportationi colophonem tandem imposuit post quinquennium ArchiMarshallus Nabizardan, qui annô

23. Re-

23. Regis sui Nebucad. abduxit septingentos quadraginta quinque; *Jer.* 52, 30. relictis paucis, qui agrum colerent, quibus præfecit *Gedalia* 2. *Reg.* 25, 22 *Ier.* 40. & 41. Cui etiam ex vinculis solutus & bona cum pace dimissus se associabat *Ieremias*, *Ier.* 39, 14 *Ier.* 40, 4. Quomodo autem hic Gedalias reliquias Judæorum feliciter colligens ab Ismaele, Regis Ammonitarum emissario, ex insidiis sceleratissime sit trucidatus; Et quomodo hoc factum reliquiarum Judæorum in Ægyptum fugientes Prophetam *Jeremiam* vi secum traxerint, proferre alterius loci & temporis est *Conf. Ier.* 41. 42. 43.

LX. Præmissis jam præmittendis de captivitate *Babyl.* resolvemus dubium istud § 57. prolatum, quomodo scilicet verba *Matthæi* sint intelligenda: *Iosias genuit Jechoniam in transmigratione, cum tamen Iosias octennio ante filii sui captivitatem debitum solverit natura* 2. *Reg.* 24, 12. secundum promissionem Dei, ne malum istud videret 2. *Chron.* 34, 28. Ambiguitas aliqua latet in præpositione ἐπὶ multas significationes habente, quas longâ serie recensent *Lexicographi*. Necessum igitur non est phrasin ἐπὶ τῆς μετοικεσίας βαβυλωνος reddere in ipso exilio vel deportatione ex Patria, sed circa vel sub istud tempus annis aliquot ante captivitatem, quod rectè observavit B. noster *Lutherus* in versione *Germ.* ubi hæc verba: *Ἰωσίας δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰεχονίαν καὶ τὰς ἀδελφὰς αὐτῆς, ἐπὶ τῆς μετοικεσίας βαβυλωνος*, hoc modò vertit: *Iosias zeugete Jechoniam und seine Brüder umb die zeit der Babylonischen Gefengniß.* (Pari ratione dicitur *Jechoniam* genuisse *Saalhielem* post captivitatem cum tamen *Jechonias* in ipsa captivitate mortuus ejusq; filius *Saalhiel* in eâ sit natus atq; educatus. Præpositio enim μετὰ regens *Accus.* ut h. l. æquè denotat *post*, ac in & inter) Tempora igitur hîc sunt anticipanda & concordabit scriptura.

LXII. Cui verò hæc ad palatum non sunt, aut ad scrupulum eximendum nondum sufficiunt, ei ex mente *Dn. D. Glasij* in *Grammat. Sacra* l. 3. tract. 2. p. 174. *Philologi* celeberrimi, respondemus, quod in verbis: *τὰς ἀδελφὰς αὐτῆς, ἐπὶ τῆς μετοικεσίας βαβυλωνος &c. articulus τὰς, κατ' εἰδειν* sit

fit intelligendus & explicandus, ut completa fiat lectio istiusmodi: ἐγέννησε τὰς ἀδελφὰς αὐτῶν, τὰς ἐπὶ τῆς μετοικεσίας βαβυλωνίως. Genuit fratres Ejus (Jechoniae) eos, qui in captivitate Babylonica (scil. fuerunt) Quae ratio solutionis sanè est facilior & vero similior, quae hanc descriptionem non ad γένεσιν sed ad ἀδελφὰς, non ad genituram, sed ad genitos, Jechoniam & ejus fratres refert. Addimus ea, quae Celeberr. Dn. D. Waltherus explicationis ergò addit, quod verba, ἐπὶ τῆς μετοικεσίας &c. non regantur à verbo ἐγέννησε sed ab articulo τὰς, ut significetur, eò tempore agnatos Jechoniae adhuc superstites fuisse, quo cœpit misera illa in Babylonem deportatio. Quodq; non dicant aliquam deportatorum in Babyl. commorationem, sed tantum ipsum deportandi actum: Cum Evangelista non temporis durationem, sed tantum terminum aliquem abductionis constituere voluerit. in Miscell. Cent. p. 557.

LXIII. Tandem censent quidam, in confinio secundae & tertiae tessaradecadum librarios Hebr. literarum ignaros nomina describendo corrupisse: ubi ob nominum vicinitatem Jehojakim & Jejojachin (sic enim vocatur Jechonia 2. Chron. 36, 9. 4. Reg. 24, 6.) Jojakim & Jechoniam confudere, atq; è duobus unum fecere alterum redundare existimantes. Josiae enim nepos, non filius est Jechonias. Quamvis quidam in ea opinione sint, ut Epiphan. haeres. 8. contra Epicur. Ambros. in Luc. 3. Hieronym. Lyra in suis annotationibus, Erasmus & Beza in post. Annotationum N. T. editione, quod videlicet Joakimus, filio suo Jechoniae fuerit cognominis.

LXIV. Sacra autem Scriptura, quam se positis omnibus testimoniis humanis, arripimus, Josiae filios his insignit nominibus: Primogenitum vocat Johanan, secundum Joakim, tertium Zedekiam, quartum Sallum 1. Par. 3, 15. Natus major Johanan ad regimen non pervenit. Reliqui tres infausto sidere ad paternum evecti sunt fastigium. Et quidem natus minimus suffragiis populi fratribus reliquis praelatus Patri proximè in regno successit, 2. Chron. 36, 2. Vix autem tribus mensibus rerum summæ praefuit, cum Pharao Ne-

D

cho

cho Rex Ægypti eum abduxit, eſq; fratrem ſecundò geni-  
tum *Iakimum*, quem nomine *Jojakim* donavit, ſurrogavit,  
2. Reg. 23, 34. 2. Chron. 36, 4. Hunc *Jojakimum* abſolutis annis  
Imperii undecim Rex *Nebucadnezar* eatenis vincetum, in  
Babylonem abduxit, in quibus vinculis deniq; mortuus ſe-  
pultura honoribus dignus non fuit æſtimatus. *Ier.* 22, 19. *Jo-*  
*jakimo* non proximè in regno ſuccesit ſuperſtes germanus  
*Zedekias*, ſed filius ejus *Jechonias*, qui tamen ſtatim poſt tres  
menses itidem à Rege Babyl. captus, falces ceſſit patruo *Ze-*  
*dekia*, tertio Regis *Josia* filio, qui prius *Mathanias* vocabatur  
2. Reg. 24. Rex autem Babylon. *Mathaniam Zedekiam* appel-  
lari juſſit, ut eum juſtitia & fidei in ſervandis promiſſis vel  
ipſo admoneret nomine, *Andr. Oſtander. in gloſſ. ſuper. cap. 36.*  
*Paral.* Sed cum nominis fideiq; data obliviceretur, hoc per-  
egit, ut cum ipſo Regia dignitas, urbs Hieroſolym. tem-  
plum & nescio quid non planè extirparetur.

EXV. Detectâ jam *genealogia Iosia* quisq; manibus  
quasi palpat ſphalma, quod ſcil. ſecundum veritatem rei &  
Vet. codicũ, tam Latinorum, quàm Græcorum, ad complen-  
das Teſſaradecades ſecundâ, ſive tertiam, inter *Iosia* & *Jechoni-*  
*am* inferendus ſit *Iakim* vel *lehojakim* & ſic legendum: *Iosias*  
*genuit Iakim, Iakim genuit Jechoniam & fratres ejus.* Quam  
lectionem approbarunt *Iacobus Faber Stapulensis* in *producti-*  
*one Geneal. Chriſti ad Matth. i.* *Robertus Stephanus* in *Græca N.*  
*T. majori formâ edit. A. 1550.* qui ambo adhibuere manu-  
ſcriptos atq; antiquos codices Græcos, in quibus *Iojakim*  
viceſimò octavò locò fuit expreſſus. Quam lectionem porrò  
*Paris. A. 1534.* *Simon Colineus, Henricus Stephanus A. 1576.*  
*Martinus Bucerus* in cap. 1. *Matth. Biblia Gallica poſtrema*  
& *German. Piſcatoris* atq; priores *Beza N. T.* Editiones, ut  
genuinam expreſſerunt. Et in ſua *Harmonia Evangel. cum*  
*B. Chemnitius*, tum *Calvinus* veriſimilem cenſuerunt. *Eilbar-*  
*dus* autem *Lubinus* calculum etiam ſuum huic lectioni adjici-  
ens ſua de industria in ſuper & hoc addit, quod ſcilicet  
verba: *& fratres ejus, Iojakimo, non Jechonia* ſint adjicienda,  
&

& ita legeudum sit: *Iofia genuit Iakim & fratres ejus, Iakim autem Iechoniam.* In scriptura enim non legi Jechoniam habuisse fratres, ut de Jojakimo prolixè jam demonstratum est. Huic tamen Lubini opinioni Hebræi fontes minus videntur favere, qui ita sonant:

וּבְנֵי יְהוֹאִקִים יְכֹנִיָּה בְנוֹ צְדָקִיָּה בְנוֹ :

Et ita vertuntur: *Et filii Iejojakimi Iechonia filius ejus (&) Zedekia filius ejus.* Quæ sanè verba (per Ellipsin copulæ, Et, Hebræis usitatissimam reddenda) indicant Jehojakim ad minimum duos habuisse filios, adeoq; Jechoniæ fratrem fuisse Zedekiam innuunt: Nam si Jehojakim habuit בְנֵי filios: Ergo *Iechonia filius ejus habuit fratres aut saltem fratrem; Zedekiam* (nimirum juniorem, patruo suo i. Chron. 3, 15. cognominem) ut rectè concludit Gomarus in Tract. de geneal. Christi p. 63. Nihil quoq; absurdi inde profliri potest, si *Zedekias* frater Jechoniæ idem nomen obtinuisse cum *Zedekia*, Jechoniæ patruo, asseratur. Quid enim? annon sæpius patruo patruum nomen teste hinc inde experientia, imponitur?

LXVI. Sunt etiam nonnulli, qui usitatissimam hanc lectionem: *Iofias genuit Iechoniam* simpliciter defendere volunt, statuentes *unicum esse Iechoniam* immediatè à *Iofia* genitum, atq; ita in angulo quasi duarum decadum constitutum, ob duplicem eandem conditionem, regiam ante transportationem, & post eam privatam, & ita pro duplici genere censendum. Hanc autem opinionem, quæ à Gomaro August. & Chrysofostomo adscribitur, Matthæi de numero generationum definitio cap. 1, 17. non admittit. Siquidem nominis & hominis unius repetitio, generatio duplex dici non potest.

LXVII. Clauditur itaq; secunda tessaradecas cum Regali dignitate, quæ in Jechonia desuit secundum vaticinium Jeremiæ, qui hæc verba DEI, de Jechonia assignavit, c. 22, 30. *Scribe virum istum orbem, quia non erit de semine ejus, qui sedeat super solium Davidis, & potestatem habeat in Juda.*

D

Quæ

Quæ verba Prophetæ Christophorus à Castro ita παραφράζει  
p. 192. *Numeravi virum istum Iechoniam inter viros liberis orbos,*  
*cui, dum vixerit, nihil prosperè cedit: qui licet sit habiturus fili-*  
*os, nullus tamen eorum in solio sedebit Davidis, nec potestatem*  
*habebit ultra in Juda.* Ultimum igitur Regem fuisse Iechoni-  
am dicimus secundum successionem legitimam & more  
populi DEI receptam, atq; adeo ordinariam. Zedekias  
enim, qui simpliciter ultimus fuit, à Nebucadnezare victo-  
re præter morem ac ordinem infectus, Iechonia adhuc vi-  
vente & Babylonem in exilium abducto regnum admini-  
stravit, cum jam jam collum jugo Babylonico dedisset. Non  
autem ea de causa subrogatus est Zedekias Iechoniæ, quod  
hic sine liberis mortuus esset, (numerofam enim post se re-  
liquit prolem, quam durante captivitate propagavit, ut vi-  
dere est, *1. Par. 3, 17, Jer. 22, 28.*) Sed quia beneplacitum Ne-  
bucadnezaris magis in Zedekiâ, quàm Iechoniam ferebatur.  
Et licet tandè Iechonias post 37. annorû decursû ab Evil-  
merodacho Rege Babylonæ è carcere extractus, interq;  
præcipuos Regis amicos numeratus & omnib; sit prælatus;  
ad pristinam tamen dignitatem neq; ille, neq; posterî ejus  
juxta vaticinium Jeremiæ *c. 22, 30.* pervenère. Et hoc firmis-  
simum nostrum est fundamentum, quod Proceres, qui post  
captivitatem Babylonicam non quidem ut Reges, attamen  
ut Principes in Judâ regnarunt, non ex stirpe sive semine  
Iechoniæ & consequenter Salomonis, sed ex fratris Natha-  
nis prognati sint prosapia.

LXVIII. Sequitur jam *tertia Tesseradecas Matthæi,*  
quæ non minus quàm præcedentes intricatissimas in se  
continet quæstiones, quarum præcipua: *An Matthæus & Lu-*  
*cas, qui in nominibus Salathielis & Zorobabelis conveniunt, re-*  
*ipsa etiam conveniant?* Resp. quod non, Matthæus enim suum  
Salathielem ex Iechonia, Lucas suum deducit ex Neri; Filius  
Salathielis Zorobabel (apud Lucam) filium habuit Resam, Zoro-  
babel autem Salathielis filius apud Matthæum genuit Abiudem.

NON

Non sufficit dixisse *Iechoniam* tanquam sobole destitutum adoptasse *Salathielem Neri filium*? Numerosam enim, ut jam audivimus posse reliquit posteritatem, *1. Par. 3, 7*. Et in ea mediatis generationibus *Salathielem atq; Zorobabelem*, qui propter maledictionem *Jechoniae* duces *Judæ* esse non possunt.

LXIX. Deinde si in ista permanemus sententia, *Lucam* omnes & singulos, nullò omisso, uti ordine geniti sunt, recensuisse, & hoc inter *Zorobabelem*, qui est *Matthæi*, & inter *Zorobabelem*, quem assignavit *Lucas*, deprehendimus, discriminis, quod scilicet *Zorobabel* è *Salomonis* stirpe prognatus à *Pedaja* sit genitus, filio *Salathielis*. *1. Chron. 3, v. 18. & 19*. *Lucas* verò *Zorobabel* immediatè originem traxit à *Salathiele*. Casu igitur factum est, ut supra diximus, quod eadem nomina diversis his boni ominis vel alia de causa contigere. Fortè *Salathiel* & *Zorobabel* ex *Nathane* prognati atq; ad principatum assumpti, mutuati sunt & nomina eorum, ad quos è *Salomonis* familia Principatus jure successione spectabat.

LXX. Idem hic *Zorobabel* scrupulum nobis injicit, cum legitur illum genuisse *Abiudem*, de quo tamen in *Geneal. Davidis 1. Par. 3*, altum est silentium, ubi filii *Zorobabelis* recensentur, *Mosalla, Hanania, Hasaba, Obol, Barachia, Hasadia, Iusab, Hefed* cum sorore *Selemith*. *Abiud* autem abest. *Aretius* in *Comment. suo super N. T.* *Abiudem* habet pro filio *Chananiae*, atq; ita pro nepote *Zorobabelis*. Sit fides penes *Autorem*! de his quoniam scriptura tacet, & nos tacere cogimur, de personis eim inter *Zorobabelem* & *Josephum*, sponsum *Mariæ*, nihil uspiam memorabile in *S. Scriptura* legitur.

LXXI. Præteritis igitur istis dubiis clausulam saltem considerabimus: *Ἰακωβ δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰωσήφ τὸν ἀνδρα Μαρί-  
ας, ἐξ ἧς ἐγεννήθη Ἰησοῦς, ὁ λεγόμενος χριστός.* *Joseph* vir *Mariæ* dicitur ob consensum matrimonii, non propter carnalem conjunctionem, quæ vinculum conjugii non est, aliàs etiam procul dubio

Dubio scortatores & mœchi titulò insigniendi essent conjugum. Hic Evangelista phrasin usitatam mutat: Non enim amplius dicit Joseph genuit Jesum, uti aliàs adjecit: *Abraham genuit Isaac, Isaac genuit Jacob, Jacob genuit Judam* & sic consequenter. Nec etiam scribit: *Maria genuit Jesum*: Virorum enim gignere est, mulierum parere, sed inquit: *ex quâ natus est Jesus*. Quâ phrasi significat primò Jesum de Maria natum, non virtute *naturali* sed *supernaturali*, *vi & operatione Spiritus Sancti*. Secundò Jesum non esse genitum à Patre Josepho, sed natum ex sola matre; ideoque ex virgine immaculata omnem carnem & substantiam habere, quam cœteris filiis dant pater & mater conjunctim, ut causæ sociæ pro una stantes: ac proinde Joseph non aliter pertinere ad genealogiam Christi, quàm respectu sponsæ, Mariæ virginis, ex qua natus est Christus. Et hoc in specie circa tres Matthæi tessaradecades monere & examinare voluimus, si benevolo lectori unum atq; alterum dubium remanserit, ei, ut speramus, in sequentibus, quæ in specie ad genealogiam dicentur Lucæ, sumus satisfacturi.

Sequitur

## TEXTUS LUCÆ.

LXXII. Evangelista unus post alterum Evangelicam suam concinnans historiam commentatus quasi est super priorem, quod ex hac nostra patet materia. *Lucas* enim Evangelista, fidus ille Achates D. Pauli hortante Petro, ut vult Derotheus, vel potius, ut multorum est opinio, docente, imò dictitante D. Paulo (unde opinio illa nata, quoties Paulus Evangelium suum dicit, toties Lucæ Evangelium intelligi) Evangelicam historiam Anno. 15. post Ascensionem Domini conscribens *observavit in Genealogia Christi Mattheum magis opinioni, & fame hominum, quàm rei veritati satisfacisse*. Proinde ipse commentatus quasi est super genea-



genealogiam Christi à *Matthæo* conscriptam, novam erigens  
genealogiam non patri putativo, sed vera *Messia* generitici, virgini  
*Mariae*, ut in apricum produceret, Jesum hunc Nazarenū  
verum Messiam, & secundum matrem, patre terrestri ca-  
rantem, esse è familia, & quidem ex linea regali atq; Duca-  
li *Davidis* secundum divinas promissiones 2. *Reg.* 7, 12. Non  
auferetur de Te vir, qui sedeat super thronum *Israel*, Et *Pf.* 13, 2;  
u. de fructu ventris tui ponam super sedem tuam &c.

LXXIII. Quamvis autem *Evangelista Lucas* personas,  
per quas secundum carnem *Christus* originem duxit, non  
disperdat in certos numeros, ut *D. Matthæo* propositum fu-  
it, quinq; tamen earum personarum repræsentat, classes. Ad  
1. ascendendo, redegit homines privatos, de quibus in co-  
dice V. T. ne jod videre licet. Classis 2a. sunt Duces post ca-  
ptivitatem *Babylonicam*. 3a. Reges & alii magni nominis  
Viri, qui partim ante captivitatem, partim in ipsa vixerunt.  
4a. Iterum privati, vel si mavis Judices, quos secuti sunt *Re-*  
*ges*, & antecesserunt *Patriarchæ*. 5. ta tandem classis ipsi  
sunt *Patriarchæ* ad *Adamum* usq; omnium nostrum pri-  
mum parentem.

LXXIV. Primã, ut diximus, classẽ nobis cõstituunt quinq; istæ  
personæ privatae *Joseph, Eli, Matthat, Levi & Melchi*, de quibus  
ne unicum habemus indicium neq; in S. Scriptura, neq; a  
pud *Prophanos* Autores, has personas claves gessisse regni.  
Nam cum in propatulo esset, & non tantum inter popula-  
res, sed & exteros divulgatum, nasciturum aliquando *Re-*  
*gem Messiam* ex posteritate *Davidis*, factum est, ut exteri  
*Reges*, qui in *Judæam* summam jure belli consequebantur  
potestatem, studiosius posteros *Davidis*, ab omni rerum ad-  
ministratone semoverent: Hinc ad inopiam & extremam  
paupertatem ista redacta posteritas, nullos fermè, nisi opi-  
fices, & qui labore manuum sese alerent, circa tempora  
*Herodis* habuit.

LXXV. Sed in dubium hîc quis vocare posset vati-  
cinium *Jacobi*, *Gen.* 49. *Non auferetur sceptrum de Juda, nec*  
*Legisla-*

*Legislator de pedibus ejus, donec veniat Schilo.* Cum tamen in *Jo-*  
*hanna* aliquot annos ante nativitatem Messiae ducalis etiã  
dignitas à domo Davidis 160. annos ante natum Christum  
penitus sit sublata. Solutionem hujus dubii nobis suppeditat  
*D. Waleb.* in Exercitat. p. 147. hypoth. 4. ubi dicit, quod  
Sceptrum distinguendum sit à Legislatore seu Synedrio, ut  
licet illud deserit *partialiter* in captivitate, *totaliter* sub  
Herode: Hoc tamen & ibi 70. ann. & hinc 35. annorum in-  
tervallo adhuc permanserit. Id autem videtur velle; *Duo*  
*esse temporis signa, è quibus potest cognosci, quando sit Messias*  
*venturus. Primum* si Regimen deserit, & Synedrium quoq;  
non amplius erit. Si ergo Sceptrum de Juda fuerit subla-  
tum veniet Schilo: verum non ad illud ipsum momen-  
tum, quo sceptrum est ablatum, sed addenda etiam est *al-*  
*tera temporis determinatio*, si Legislator de pedibus ejus, i.e.  
Si etiam Synedrium deserit, aut si Synedrii hujus Præses,  
è tribu Judæ non amplius erit Præses sive Legislator, tunc  
veniet Schiloh. Hoc autem exactè convenit tempori nati  
Messiae. Nam is venit, cum sceptrum esset ablatum, scil.  
totaliter, à Maccabæis per Herodem: in quibus finiebatur  
Dominatus 35. annis antequam nasceretur Salvator, cum  
ad Herodem deveniret rerum summa. Atq; hæc est una de-  
terminatio temporis. Sed non statim sub hoc articulo de-  
bebat venire Schiloh. Sed & alterum adventus signum de-  
bebat impleri, scil. ut etiam Legislator de pedibus ejus au-  
feretur. Jam autem Legislator ablatum est eò ipsò annò, quo  
natus est Christus, teste *Philone* apud *Waltherum* p. 146. Ergo  
eò annò & eò temporis articulò, quo sceptrò paulò aute  
ablatò Legislator auferebatur, Schiloh venit. Neq; tamen  
id necessarium est consequens, quod Schiloh debuerit ve-  
nire vel ex Maccabæis, vel ex Præsede Synedrii, è tribu Juda  
oriundo. Nam hoc Jacob non dixit, vel quod ex Sceptrum  
Judæ tenente, vel ex Legislatore Messias sit proditurus, sed  
hoc tantum indicavit, quod, quando à Tribu Juda Domi-  
natus

natus, & à Synedrio præsul ablatuſ fuerit, tunc venturuſ  
ſit Schiloh.

LXXVI. Neminem autem, quod circa hanc claſſem  
adhuc monere voluimus, turbet, quod hîc apud *Lucam Io-  
ſeph* dicatur τῆ *Eli*, cum tamen patrem habuerit *Jacobum*,  
teſte *Matthæo*. Lucas enim non dicit: Eli genuiſſe *Joſe-  
phum*, ut *Matthæus*, ſed *Ioſephum nominat* τῆ *Ἠλὶ*, quæ phra-  
ſis non neceſſario convincit, quod filius naturalis vel lega-  
tis (ſtrictè vocabulô legis ſumtô, de quo infra) fuerit Heli.  
Nam & Adam ibi dicitur τῆ *θεῶ*, ſcilicet creatura. Et *Act. 1,*  
*13.* Judas vocatur *Jacobi*, ſcilicet frater. *Marc. 16,* 1. Maria  
vocatur *Jacobi*, itidem mater. Æquè igitur hîc poteſt ſub-  
intelligi γαμβρὸς, quàm υἱὸς Conf. *D. Claſſ. Phil. Sacr. l. 3.*  
*tract. 1. p. 156.* Nihil etiam obſtat, quod Syrus Paraphra-  
ſtes vocabulum ἱδ filius adjecerit. Multis enim modis iterum  
quis dici poteſt filius. Adam ejuſq; poſteri omnes & ſinguli  
dicuntur filii Dei ratione creationis & conſervationis; fide-  
les ſolùm ratione adoptionis, ex opere redemptionis &  
ſanctificationis profluentis *Johannes* Apoſtoluſ *ſiliuſ* voca-  
tur *Mariæ*, & *Mariæ mater Iohannis* curæ ſcilicet, non natu-  
ræ, *Job. 19, 16.* Sicut deniq; lege conjugii *Naemi* nuruſ ſuaſ  
nominat filiaſ, *Ruth. 1, 13.* ita *Ioſeph* ſponſuſ *Mariæ*, dici pot-  
eſt τῆ *Heli*, *Patris Mariæ*, gener: Quo ſenſu & noſtri *Germa-  
ni* Soceroſ appellant *Schwieger Väter* & *Generoſ* *Schwie-  
ger Söhne*: vid. approbanteſ, *Galatinuſ* de arcaniſ *Cathol.*  
veritatis *l. 7. c. 12.* *Matth Flaciuſ Illyricuſ* in *Gloſſa Matth. 1.*  
*David Chytrauſ* ad *Matth. 1.* *B. Chemnitiuſ* in *Harm. Evange-  
liſt. c. 3.* *Benedictuſ Aretiuſ* *Comment. in Matth. Piſcator*  
in *Bibliiſ*, primaq; ad *Matth. analyſi.*

LXXVII. Hic *Eli*, Pater *Mariæ*, de quo jam ſermo  
eſt, alioquin *Eliakim* dicebatur. Ut autem in nominibuſ  
propriiſ longioribuſ adhuc hiſce diebuſ jam priorib; jam  
E posteriorib;

posteriores, jam intermedia omittuntur Syllabæ, aut etiam aliquæ inferuntur, ut Nicolaus, idiotismo quorundam Nicel, Claus/Matthæus, Matts/Thæus, Bartholomæus, Barthel/Mæus; Johannes, Hans &c. vocantur, ita hîc factum est, ut pater Mariæ *Eliakim* ab aliis dictus sit *Eli*, ab aliis *Iakim* vel *Joakim*. Et hoc de Patre. Mater B. Virginis Mariæ, *Anna* fuit, *Elisabethæ* (Zachariæ maritæ, Baptistæq; Johannis Genetricis) soror, ex Sacerdotali stirpe progenita. Filiabus enim Leviticis certis de causis indultum erat extra tribum nubere. Ut ita Christus futurus Rex, Dux & Sacerdos Israelis ex stirpe Regia, Sacerdotali & Ducali natus sit. *Maria* enim virgo, Mater Messîæ, ex matre sanguinem Sacerdotalem, ex *Zorobabele Ducalem* traxit: Per desponsationem autem in Josephi familiam, quæ Regia erat, transit. Non autem obstat, quod in Epist. ad Hebr. c. 7. dicitur. *Iesum non fuisse ex tribu Levi, sed Iuda*, intellige secundum paternam lineam, à qua apud progenitos principaliter fit denominatio & genealogiarum recensio. Et sic, ut *Maria*, è tribu *Juda* orta, possit dici filia *Davidis*, sufficit attendisse genus paternum, (neglecto maternò, quippe quod apud Judæos nullo censebatur loco) per quod nupta in familiam mariti, qui caput mulieris, continuo transferebatur. Et tantum de parentibus Mariæ. De germanis, neq; in sacris, neq; uspiam alibi mentio fit, exceptâ sorore, *Maria Cleophæ* dicta, quæ mater erat *Jacobi minoris* & *Jose*.

LXXVIII. Quæritur h. l. *Cur Maria non dicatur filia Eli* quò tamen erat genita, sed quod ejus loco substituatur maritus ejus *Joseph*, qui fuit gener *Eli*? Resp. Causa in propatulo est, quia nempe apud Judæos usitatum non erat, ut in genealogiis foemina censerentur, nisi incidenter & alia de causa, ut de *Rahab* & *Ruth* legimus. Deinde mirum non est, quod hîc gener positus sit pro filio, quia in Christo, ordinem naturæ superante, quum patre homine careat, alia est ratio: dum quasi patris loco vitricus substituitur, ut ita ordo Christi ad avum deducatur.

LXXIX.

LXXIX. Ut autem jam ad illorum redeamus sententiam, qui statuunt à duobus Evangelistis unam eandemq; genealogiam detectam esse *Josephi* quia uterq; in *Josepho* finiat, tenenda est hujus facti ratio, quam jam jam dedimus. Ut verò has planè diversas genealogias ad unicum *Josephum* trahere possint, dicunt *Matthæum assignasse patres naturales, Lucam legales*. Quæ quidem antiquissima assertio *Africani* est apud *Eusebium* lib. 1. c. 7. cujus verba hæc sunt: *Matthan à Salomone prognatus genuit Iacob, quò Matthane mortuò Melchi à stirpe Nathanis profectus, ab ea, quæ uxor erat Matthanis, nomine Estha, procreavit Eli: Uterini ergò fratres erant Eli & Jacob. Eli illò absq; prole occumbente, Jacobus ei suscitavit semen, & genuit Josephum, qui naturâ filius Jacobi, lege verò filius Eli.* Quæ traditio *Judæorum* & quidem consanguineorum *Christi*, pro qua *Africanus* eam venditat, non simpliciter meretur fidem. Cum enim antiqua præter *Scripturam Genealogiarum Christi* monumenta, hostium, temporumq; injuriâ perierint, ut ipse testatur *Africanus* in *Epist. apud Euseb. Hip. Eccles. l. 1. c. 8.* quis affirmaverit hanc etiam incorruptam ad nos pervenisse? Præsertim cum ea in os contradicat *Evangelistæ Lucæ*, qui *Melchi* pro proavo *Heli* statuit, quem hæc traditio pro patre *Heli* ipso habet. Deinde hic ipse *Africanus* vel potius *θεσπρόστυχοι* *Christi*, à quibus hanc traditionem habet, sibi ipsis non constant. Jam enim *Heli* ipsis prius fuit mortuus, jam *Iacobus*: Ita ut *Josephus* mox hujus, mox illius dicatur filius vel naturalis vel legalis. Et quid mirum, cum illi, qui ad *Africanum* hoc detulerunt, ducentis annis amplius vixerint à nato *Christo*! Tam longò enim temporis intervallò facilè error aliquis irreperere potuit. Nihil igitur certi ex istiusmodi traditionibus fundamentò in *S. Scriptura* carentibus, habere possumus. *Vacillat*, inquit *Clariss. Vossius* in dissertat. sua de genere *Christi*, *omnium Autoritas, de quibus silentium est in sacris literis.*

LXXX. Hinc etiam duo firmissima argumenta S. Augustinum longo tempore ambiguum detinuerunt, antequam in Africani abiret sententiam. Primum cum *Jacob Iosephi pater* totâ progenie distaret ab *Helî*, quo jure proximitatis secundum legem ipsi prolem suscitare potuit? In hæc ergo prorumpit verba citatus *Augustinus* in quæst. *ad c. 46. Deuteron.* *Difficilimum videtur, non fuisse aliquem propinquiores, quàm eum, qui ex David est consanguineus tàm longinquo gradu, non aliqua fermè propinquitate conjunctus.* Pro porrò malè habebat Augustinum, quod si *Ioseph* fuerit *Helî* filius legalis, & quidem lege vindicis, cur non secundum præscriptionem Dei *Deut. 25, v. 6. & 7.* nomen sortitus sit patris legalis? Quæ sanè rationes à Lege vindicis nos revocare possunt, ita ut legem conjugii, legi adoptionis & vindicis jure meritoq; præferamus atq; arripiamus. Quamvis *August. l. 3. c. 3.* contra *Faustum Manichæum*, quid hac in re quis statuere velit, suo cuiq; relinquat iudicio, inquit. *Tota in hoc quæstio est, quomodo potuerit duos Patres habere Ioseph.* Hoc enim si fieri potuisse demonstratur (per adoptionem scilicet, per conjugium & legem vindicis) nulla omnino cauca est, cur quisquam istorum *Evangelistarum* in diversis generationibus enumerandis falsum dixisse credatur.

LXXXI. Ut autem hoc plenius intelligatur, explicabimus, quàm variè vox *fili* accipiatur. Vocatur aliquis *filius vel naturâ vel lege.* *Naturâ* quis ejus filius est, è cujus femine est genitus. *Lege* autem alicui id nomen bifariam tribuitur nempe vel *communi gentium lege, vel propriâ Israelitarum.* Posterioris generis erat illa, quæ viduam defuncti sine prole proximus sanguine ducere jubebatur, non tàm sibi, quàm defuncto prolem suscitaturus, *Deut. 25, 6.* *Communis verò lex vel adoptionis est, vel conjugii.* *Adoptionis* erat, qua quis in liberorum assumitur locum. *Conjugii* ea est, qua gener soceri, privignus vitrici filius, & è contra ille parens

rens habetur. Sit igitur, quod *Joseph Heli filius fuerit legalis,* non tamen lege *Israelitarum propria sive lege vindicis, sed conjugii, qua ratione & Jesus Josephi fuit filius,* juxta alloquium *Mariæ Luc. 2, 48. Ecce, inquit, pater tuus & ego, dolentes querebamus te.* Simplicissimâ sic atq; tutissima hac ratione extricatum dedimus nodum de duobus parentibus Josephi relictis omnibus opinionibus, quæ absq; ullo firmo S. Scripturæ, probatq; alicujus auctoris testimonio solô traditionum fulcrô suffultæ foveantur.

LXXXII. *Ad secundam classem nos convertentes dicimus illam constituere Duces post captivitatem Babylonicam à linea Davidis per Nathanem ortos, ad quos, deposita Salomonis de solio Davidis posteritate secundum vaticinium Jeremie c. 22, 30. successio in Imperio, titulusq; Ducum sive Principum devolvebatur.* Hinc etiam hoc necessariò hîc repetendum, Evangelistam *Matthæum contexuisse Regiam lineam per Salomonem, qua sceptrum tenuit usq; ad Jechoniam, cujus posterii de solio Davidis depositi privatam vixerunt vitam, ex quibus privatis personis tandem genitus est Ioseph sponsus Mariæ virginis; Lucam verò contexuisse lineam Davidis per Nathanem, quæ privata vixit usq; ad Salathielem ad cujus posterios successio in solium Davidis, remotâ Salomonis stirpe, pervenit, ex qua Nathanaea prosapia profiliit alma ista Deipara, virgo Maria, mater Messia.*

LXXXIII. De his autem Ducibus parum est, quod in medium possumus proferre. Unicum *Zorobabelem nobis commendat & illustrat Nehemias c. 3.* de reliquis altum S. codex fovet silentium. Scriptor iste Judæorum curiosus *Iosephus* in describendis nominibus rebusq; gestis Ducum & Principum parum curiosus fuit, interim tamen duorum, *Iosephi Patris scilicet, & filii Joannæ mentionem faciens l. 12. Antiquit. c. 4. & 5.* refert de ultimo, quod ex metu Antiochi



Epiphanis manum sibi intulerit, vitaq; suâ principatum familiae suae finiverit. His paucis de Principatu Judae contenti esse cogimur, cum plura & clariora ad nos non pervenerint, postquam Herodes libros ejusmodi comburi jusserrat, ut est apud Iosephum l. i. Hist. Iud. c. 7.

LXXXIV. Quo jure autem & titulo regni successio ad *Nathaneos* pervenerit, soli DEO est cognitum, qui forsitan ob non custoditum testimonium successionem regni à Salomone ad *Nathanem* transtulit. Promiserat quidem, Deus Regi *Davidi* se *semper suscitaturum de semine ejus, qui sedeat super thronum Israel* 2. Reg 7, 12. Ista autem promissio non ad unam aliquam stirpem erat alligata; *Davidis enim domui, non Salomonis, aut alterius ex posteritate Davidis promissio ille erat confirmata.* Poterat itaq;, uti certe factum est, propter non custoditum testimonium Ps. 113, 12. successio ab una stirpe sive linea transferri ad aliam.

LXXXV. Nullius ponderis sunt traditiones *Annii* qui ex *Philone* probare vult, *Davidem* in testamento suo posuisse certam successionis legem: Ut scilicet stirpe *Salomonis* vel deficiente, vel ex solio remota ad *Nathanis* stirpem devolveretur, atq; ideo unumquemq; ex *Nathanis* posteritate, licet privatus esset, vocatum esse אהרן שלישי frater meus princeps, sicut & hodie reliqui Regum fratres, qui Reges non sunt, spem autem & jus successionis habent, vocantur vel *Infantes regni, vel Principes & Duces.* Sed hæc traditio *Annii* valdè suspecta est, cum de illa in operibus *Philonis*, quæ Græcè & Latinè prodierunt, nihil extet. Et tantum etiam de classe secunda dictum sat esto. *Tertiam & quartam classem* Reges, Judices, aliosq; qui inter privatos vixerunt parietes in se continentes, satis ut speramus, in enucleatione *Matthæi* produximus atq; examinavimus.

LXXXVI.



LXXXVI. Restat igitur, ut *quintam* ingrediamur, ubi primo intuitu videmus *Cainam* dolosè inter *Salem* & *Arphaxad* sese insinuantem in hanc irrepisse classem, cum tamen huius classis non sit, ut patet ex recensione, membrorum huius classis, *Gen. 10. 24.* Expungendus igitur, excludendus est *Cainan*, qui subdolè incuria descriptorum in hanc infertus & infertus est classem per *Chemnit. c. 3 in Harmon. Evang. M. Flacium Illyricum in Glossa, Æg'd Hunnium in prælect. Gen. 10.* *Bezam Annotat Luc. 3. Pareum in Comment. Gen. 10. Piscatorem Analys. Luc. 3. &c. Dnn. D. D. Rungium, Gesnerum, Gerhard. Comm. in Genes. & Walth. Harm.* Non igitur opus est, ut *Lyra, Gomarus* & alii reconciliationem instituant inter *Mosè* & *Lucam*: *Lyrae* de hoc verba sunt: *Ad concordiam huius dici potest, quod iste Cainam Pater Sala fuerit legalis sive adoptivus; Arphaxad verò pater naturalis.* Quasi scilicet sensus esset, qui *Sala* fuit *Cainani*, & fuit *Arphaxadi* filius. *D. Gomarus in examine controversiarum de geneal. Christi* duplici responsione objectam inter *Mosè* & *Lucam* diluit contradictionem. Primum verba *Lucæ τῆ Σαλα, τῆ Καϊνὰν* pro synonymis habet si: pro unius hominis nominibus, ut ad nomen *Sala*, alterum *Cainani* expositionis gratiâ per appositionem Grammaticam subnectatur. Secundò consensum *Lucæ* cum *Mosè* ex eo probat, quod *Mosè* avum *Arphaxadum*; *Lucas* autem patrem *Cainan* posuerit, qui usus in genealogiis planè vulgaris, ut nepos, præteritò filio, subjiciatur, Contradictionem ergo saltem apparere, cum tamen revera non sit. Omnes autem has probabiles rationes uno impetu subruit *Beza*, qui *Annotat suis super Luc. 3. ait: Nomen Καϊνὰν non dubitavi expungere secutus Autoritatem Mosè, Gen. 11, 2. & mei vetustissimi codicis A. 1562. in S. Irenæi Monasterio Lugdonens. reperti, qui hodieq; in Academia Cantabrigiensi asservatur & ante 1200. annos exaratus creditur. Nam si in vetustissimo codice Gr. nomen Cainan non reperitur, quid opus habemus errorem, incuriamq; eorum, qui hoc*

im-

immiscuere vocabulum, palliare? Absit autem, ut Evangelistam alicujus vel vitii vel mendæ incusemus, ut qui instinctu Spiritus S. sapientissimi artificis sua conscripsit opera. Sed hæc est constans & perpetua nostra cum omnibus Orthodoxis Theologis sententia, quod *Cainan in codice nostro Græco planè sit irreptitius*: qui neq; Patrum post diluvianorum catalogo in veritate Hebraica annumeratus, neq; in LXX. Interpretum puriori versione observatus, neq; in codice Baziano inventus, neq; à S. Irenæo antiquissimo inter Christianos scriptore l. 3. c. 33. in generatione Domini, in qua ille ad Adamum usq; septuaginta duas tantum generationes in Luca numerat (qui numerus, si Cainan expungatur, sibi constat, præsentem verò eò fallit) expressus, neque, quod omnium firmissimum, à Scriptore Paralipomenon in ἀνακαταστάσει γενεθλιακά repetitus, & proinde jure pro ὑποβολιμαίῳ Cainane habeatur.

LXXXVIII. Neq; cuiquam mirum videatur quomodo supposititius Cainan potuerit in modernos codices Græcos N.T. & LXX. Interpr. intrudi, quum, ut dictum, nullibi locorum aliàs fuerit lectus: Nam si jam Hieronymi & August. tempore corrupta illa lectio obtinuit, facilius est assequi, quomodo id factum sit. *Nobis id vero simile videtur, (habet Ampliss. Dn. Præses in Critic. Sacr. p. 760. ex quo hæc verba mutuo sumemus) quod γνήσιος Cainan, filius Enos è v. 37. simul invexerit ὑποβολιμαίον Cainanem in vers. immediate præcedentem 36. sive. quod nota marginalis μνημονευτική in codice quopiam ad hunc locum adscripta fuerit, designans verum Cainanem quem alius existimavit novam generationem in descriptione genealogias fortè prætermisam, eamq; in textum invexerit, ut ita enatus hinc sit alter Cainan supposititius: sive quod omnino in Exemplari aliquo verus Cainan prætermisus fuerit & vel à descriptore ipso vel à correctore, textum relegente, in margine notatus, indeq; post ab alio, non suo loco, è margine in contextum*

num illatus. Uno autem corrupto codice sive LXX. Interpr. sive N.T. errorem in alios innumeros diffundi potuisse, nullum dubium est; unde porro quod est corruptis apographis textus Græci oportuit prodire corruptas translationes Syriacam, Arab. Latinam, quum ante easdem jam error in textu authentico invaluerit. Lyræ hoc in loco reconciliatio cum lege, adoptione & natura inutilis est, & quam parùm ista perstringat exceptio, ab initio hujus disputationis indicavimus.

LXXXIX. Deinde quia nondum probatum est, quod Cainan sit de veritate Ebraica, sive hîc sive alibi post diluvium inveniendus: Ideo simul ruit falsa opinio Tornicelli in *Annal. Sacr. A.M. 1694. n. 1. 2. 3.* putantis, quod Moses studio omiserit Cainan, ut denarius generationum numerus, denario responderet numero Gen. 5. per totum. Synonymia Gomari, si Moses & Evangelista Lucas hac in parte reconciliatione opus haberent, aliquò modò locum habere posset. Altera autem reconciliationis ratio, quod scilicet avus pro patre & nepos pro filio positus sit, licet in aliis Exemplis procedat, hoc tamen in loco infirma, imò nulla est. Nam quum Arphaxadus, natus annos triginta quinque, Salachum genuerit, Gen. 11, 14. qua ratione avus illius esse potuit? Optimè, inquis, Gomare? Arphaxadus enim citius conjugatus Cainam genuit annò decimo octavo; & Cainan decimo septimo Salachum, atque ita anni triginta quinque Arphaxadi completi sunt. Incognitus est hic incundi matrimonia modus: Tardius autem quod primis & priscis illis temporibus, & quidem vix ante tricesimum vitæ annum matrimonia contraxerint, testis est sacer codex: Quippe tum multo serius liberis gignendis dabant operam, ut tot docent Scripturæ Exempla; Neque de iis modò, qui proximis à diluvio temporibus vixere, quod nunc sufficeret instituto nostro: Sed compluribus etiam seculis post. Sanè, si annos computemus, cognoscemus Booz, Obed, Isai cum gignerent, jam centenarios fuisse.

F

C. Mis-

C. Misit igitur aliorum conjecturis, quæ nihilo his prolati meliores aut integriores, simplicissimè respondeatur nomen Cainan in Luca textum Scribarum incuriâ irrepsisse; nam nominis Cainani vestigium nullum in vetustissimis reperitur codicibus. Hunc Cainan ignorat Ebraeus fons, ignorat Chald. Paraphrastes, ignorat purior LXX. Interpr. editio, teste Excell. Dn. D. Præs. Critic. Sacr. p. 759. de hoc nihil extat apud Iosephum &c. Manet ergò fixum illud Augustini: Si translatio ab originali dissentit, ei linguae potius credendum, unde in aliam, per interpretationem facta est translatio.

CI. Nec nostandem hac in re movet *Autoritas veneranda Antiquitatis*. Autoritati enim autoritatem opponimus. Licet ergo unus vel alter ex Patribus, quos recenset *Garnarius in tr. de Geneal. Christi p. 44. & seqq.* amplexus sit vitiosas translationes, ut Hieronymus & Augustinus: has tamè ut erroneas reprobârunt *Isidorus, Irenæus & alii*. Non igitur videndum quid factum, sed quid jure fieri debeat. Sed de his vid. ex professo *Ampliss. Dn. D. Præs. T. 1 sup. August. Conf. vel Critic. sac. à pag. 750762.*

CII. Quibus ita discussis & ad umbilicum iis, quæ volumus, productis, verbis *D. Chemnitii* hanc συζήτησιν concludemus. Nihil equidem, quod video, in hoc εἰμῶ ἀπολογίας desiderari potest, nisi nos in infinitas, inutiles & supervacaneas quæstiones atq; contentiones immiscere velimus contra regulam præscriptam *D. Pauli 1. Tim. 1, 4. & Tit. 3, 9.* Hoc persuasum nobis habentes, quæ restant, non æquè, ac quæ dicta sunt, servire posse ædificationi Dei in fide. In qua vera & sincera fide DEUS tamdiu nos servet, quamdiu nos servatos velit!

Gloria sit Patri, sit Gnato gloria, sancto  
Gloria Spiritui; Triadi sit gloria sanctæ.

*Fera*



**F**ertilium varii fructus testantur agrorum  
Ruricolam prægnans sic coluisse solum:  
Et mentis doctæ conamina, ad ardua nata,  
De vigili cura, de studioq; docent.  
Quocirca, KUFNERE, tui perdocte labores  
Quid, quæso perhibent? Te studuisse probè.  
Scilicet effectus causam demonstrat hic illam,  
Huic erit effectui gloria certa comes.  
In natale solum sospes gratusq; redito,  
Et capito meritis digna brabæa tuis!  
Pulpita scansurus sacrata, juvante Jehova,  
Per verbum multos salvificato pios!  
Floreat alma DEI per Te te Ecclesia vivi,  
Et per te Christi gloria facta fiet!

*Amico ac Domestico suo  
longè Optimo L.M. Q.  
apponebat*

**Johann. Andreas Quenstedt S. Theol.  
D. Ejusdemq; Prof. Extr. Coll.  
Phil. Adj.**





05 A 2477

ULB Halle


3

004 545 354




1017









I. N. J.  
*Succincta*  
GENEALOGI-  
AS CHRISTI

à Biga Evangelistarum, Matthæo & Luca, conscriptæ  
LIQUIDATIO,

*Quam*  
PRÆSIDE

*Viro plur. Reverendo, Amplissimo atq; Excellentissimo*

Dn. ABRAMO CALOVIO,  
S.S. Theol. D. ejusdemq; P. P. famigeratissimo, Con-  
sistorii Eccles. Assessore gravissimo, Electoral.

*Sax. Alumnorum Ephoro vigilantissimo,*

Dn. Præceptore & Promotore suo jugi observantiæ  
cultu devenerando,

M. JOHANN GEORG Rüsner / Sultzbacensis Palat.  
A. & R.

In Aroaterio Theologorum

Annô post natum Mediatorem M. DC. LII.

die Januarij  
*publico examini subjecit*

WITTEBERGÆ.

Typis Johannis Röhneri, Acad. Typogr.